

PER OCTAVAM S. CATHARINÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Ad Magnificat vel ad Memoriā, Antiphona Ave Vírginum gemma., V. Diffusa est., Oratio Deus, qui dedísti Legem Móysi., ut in die.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. ANDREÆ AVELLINI CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui in corde beati Andréæ Confessoris tui, per árduum quotídie in virtútibus proficiéndi votum, admirábles ad te ascensiōnes disposuísti : concéde nobis, ipsius méritis et intercessióne, ita ejúsdem grátiae partícipes fieri & ut, perfectiōra semper exsequéntes, ad glóriæ tuæ fastígium felíciter perducámur : Per.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

B. MARGARITÆ DE SABAUDIA VIDUÆ ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ut ejus méritis et exémplo discámus peri-túras mundi calcáre delícias & et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis.

In j. Vesperis Memoria SS. Vitalis et Agricolæ Mm.

Oratio.

**D**A, quæsumus omnípotens Deus : ut, qui beatórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia colímus & eórum apud te intercessiónibus adjuvémur : Per.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

B. JACOBI DE BENEFAC TIS E. C. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

**D**EUS, qui beáto Jacóbó, Confessóri tuo atque Pontífici, ómnia boni pastórīs múnia fidéliter explére tribuísti : ejus intercessióne nobis concéde ut per viam mandatórum tuórum gradiéntes & inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocári mereámur : Per.